



~~Q/115~~ EX BIBLIOTH.  
NATIONIS HUNGAR.  
VITEBERG.

11-22.

SIGNAT. CLVCCCCXIII.



2. D. B. V.  
DISSERTATIO THEOLOGICA

Qua  
PRÆCIPUI  
PONTIFICIORUM ERRORES  
circà doctrinam

DE  
**IMAGINE DEI**  
IN PRIMO HOMINE,

ως ἐν εὐρέσει  
*ob oculos sistuntur, strictimque refutantur.*

DEO clementer adjuvante,

PRÆSIDE

**GODOFREDO HOFFMANNO,**  
SS. Theol. Doct. & Prof. Publ. Ordin.

Ducalis Stipendii Theologici Superattendente, &  
Ecclesiæ Tubingensis Decano,

*Publica ventilationi exposita*  
Die XXX. Martii MDGCXXII.

RESPONDENTIBUS

M. JOANNE FRIDERICO HUBER, *Tubingensi.*  
M. GOTTLIEB. FRIDERICO TAFEL, *Hohentwilensi.*  
SS. Theol. Stud. & Serenissimi Stipendiariis.

---

TUBINGÆ, Literis JOSEPHI SIGMUNDI.






DISSERTATIO THEOLOGICA  
PONTIFICIORUM ERRORIBUS  
CIRCA DOCTRINAM  
IMAGINE DEI  
IN PRIMO HOMINE  
A  
GODOFREDO HOFMANNO  
S. THEOLOG. & S. THEOL. O. P.  
M. JOHANNI ERNESTO HUBNER, THEOLOGO  
ACADEMICO P. O. S. THEOL. O. P.







I. N. J.

DE

IMAGINE DEI IN PRIMO HOMINE.

**T**RES communiter hominis status numerari solent, quibus Anthropologia sacra absolvitur. Primus vocari solet status naturæ *instituta*, in quo homo à DEO primum justus atque integer conditus fuit. Secundus est status naturæ *destituta* & per peccatum miserandum in modum penitus corrupta. Tertius verò naturæ in hac vita per gratiam, in altera per gloriam *restituta*. Circa singulos status varios veritati divinæ errores admiscet Pontificii. Nos hâc vice breviter examinabimus errores primi generis sequentes; Dum quamplurimi eorum

PRIMO. Imaginem à similitudine perperam distinguunt.

SECUNDO. Statum purorum naturalium fingunt.

TERTIO. Justiciam originalem primi hominis, ejusdemque

QUARTO. Immortalitatem donum supernaturale fuisse contendunt. Et denique

QUINTO. Paradisum adhuc superstitem somniant.

A

PUN-



PUNCTUM PRIMUM.  
DE DIFFERENTIA INTER IMAGINEM ET  
SIMILITUDINEM.

§. I.

**B**ELLARMINUS *L. de gratiâ primi hominis c. II. p. m. 4.* Verba, quæ leguntur Gen. I. 26. 27. *Creavit Deus hominem ad imaginem & similitudinem suam*, juxta communem expositionem Patrum ita accipienda esse ait, ut *Imago* ad naturam intelligentiæ & voluntatis; *Similitudo* autem ad Sapientiam & justiciam referatur. Et p. 6. adductis quibusdam testimoniis Patrum subjicit: *Ex his cogimur admittere, non esse omnino idem imaginem & similitudinem, sed imaginem ad naturam, similitudinem ad virtutes pertinere, proinde Adamum peccando non imaginem Dei, sed similitudinem perdidisse.*

§. II.

Quanquam vero duæ illæ voces, *imago & similitudo*, alias non prorsus coincidunt, cum non omnis similitudo statim & imago sit ejus, cum quo similitudinem habet, hoc tamen in loco ita à se invicem differre, ut *Imago* ad naturam, *similitudo* ad virtutes pertineat, inficiamur ex rationibus sequentibus:

I. Quia hoc repugnat harmoniæ *decreti & executionis*. Non enim dubium est, quin Deus ita creavit hominem, quem admodum creandum decrevit Gen. I. 26. cum igitur in decreto & consultatione quasi de creando homine utraq; vox *Imaginis & Similitudinis*; In executione vero sive ipsa creatione vox solum *imaginis* adhibita fuerit v. 27. facile patet, duas istas voces idem hoc loco denotare, & ideo saltem conjungi, ut *Imago* quam simillima, modo loquendi Hebræis usitato, per duo illa substantiva significetur; alias sequeretur, quod Deus quidem decreverit creare hominem ad *Imaginem*  
& si.



& similitudinem suam, tum quoad naturam, tum quoad virtutes, actu vero eundem creavit tantum ad Imaginem suam, quantum ad naturam, non vero ad similitudinem suam, quoad sapientiam & Justitiam, quod nemo dixerit.

II. Æquipollentiam harum vocum testatur frequens in S. literis utriusque permutatio, quando sub Imagine similitudo DEI Gen. IX. 6. & vicissim sub similitudine Imago DEI Gen. V. 1. Jac. III. 9. comprehenditur. Absurdum enim foret dicere, in his duobus posterioribus locis solum similitudinem DEI, nequaquam autem ipsam ejus Imaginem designari; Nec minus absurdum, in priori loco Imaginem quidem DEI, non autem similitudinem cum DEO significari. Unde & Sap. II. 23. duæ illæ voces in casu obliquo conjunguntur, quando dicitur: *Et imaginem propria similitudinis fecit illum.*

III. Idem significatur per Imaginem DEI in Renovatione, quod in Creatione; Jam vero in Renovatione per Imaginem DEI Eph. IV. 24. Col. III. 10. non naturam, sed qualitates designari exinde constat, quia aliàs sequeretur, nos per Renovationem novam induere naturam, quod absolum est. Quare & indifferenter utraque vox Imaginis & similitudinis ad novum hominem accommodatur. 2. Cor. III. 18. Col. III. 9. I. Joh. III. 2. quia scilicet non tantum similitudo cum DEO, sed & Imago per lapsum perperda in nobis restauratur.

Longe itaque rectius hac in parte sentiunt ex ipsis Pontificis PERERIIUS, qui L. IV. in Genes. pluribus probat & evincit, eundem plane esse significatum harum vocum, easque ad idem significantius, expressius & illustrius explicandum conjunctas esse; Nec non PETAVIUS, qui non tantum calculum addit sententiæ nostræ, sed eandem quoque confirmat testimoniis Scripturæ & Veterum L. II. de Opif. sex dier. c. II. Idem quoque agnoscit CORNELIUS à LAPIDE in Gen. p. 26. quando Imaginem & similitudinem



per hendyaden jungi ait, & ex locis Scripturæ suprâ allegatis Imaginem à similitudine non distingui concludit. Cum quo & ESTIUS, aliique faciunt. De sententia THOMÆ, quem pro se allegat Bellarminus, videatur DORSCHÆI *Thomas Aquinas, Confessor Veritatis p. 336. sqq.* Et REISERI *Vindicia Evangelico-Thomistica p. 582. sqq.* PATRES quod concernit, certum est, auctoritatem Scripturæ his omnino preferendam esse. Pro nostra tamen sententia stat *Irenæus, Cyprianus, Ambrosius, Augustinus Hieronymus* & alii. Id quod Jesuita *Maldonatus* super Luc. XV. 13. fatetur. Quanquam nobis hoc loco non tam de significato vel usu istarum vocum Ecclesiastico Patribus usitato, quam de Biblico sermo sit. Nec de eo quæritur, utrum possint rationes quædam generales inveniri etiam in ipsa animæ natura & substantiâ, juxta quas similitudinem quandam & convenientiam cum DEO habet; Sed utrum Imago illa, in qua homo conditus dicitur, proprie quærenda sit in iis, quæ essentiam animæ constituunt, quod nobiscum toties inficiantur Patres, quoties Imaginem Dei per lapsum amissam esse docent.

PUNCTUM SECUNDUM.

DE PURIS NATURALIBUS.

§. I.

QUANquam BELLARMINUS l. c. contra Pelagianos statuat, *Hominem quem non fuisse creatum, qualis nunc nascitur, scilicet primum ad malum, infirmum, ignorantem; sed rectum, justum, sapientem sine concupiscentia & difficultate, quam ipsi in nobis assidue experimur.* Ipsi tamen naturæ humanæ, qualis initio à Deo condita erat, morbum & languorem quendam ex conditione materiæ ortum tribuit, qui remedio opus habuerit, & freno quodam superaddito, ne caro adversus Spiritum, ad quod naturâ suâ proclivis erat, actu rebellaret, id quod factum fuisset, si quidem homo



homo in puris naturalibus à Deo conditus fuisset, uti quidem in eo creati potuerit. Ita enim verba ipsius formalia habent: *L. cit. c. 5. p. 15. sqq.* Sciendum est primo, hominem naturaliter constare ex carne & Spiritu, & ratione quidem illius habere propensionem ad bonum corporale & sensibile, in quod fertur per sensum & appetitum; ratione hujus vero ad bonum spirituale & intelligibile, in quod fertur per intelligentiam & voluntatem. Ex his autem diversis vel contrariis propensionibus existere in uno eodemque homine pugnam quandam, & ex ea ingentem bene agendi difficultatem, dum una propensio alteram impedit. Sciendum secundo, Divinam providentiam initio Creationis, ut remedium adhiberet huic morbo, seu languori naturæ humanæ, qui ex conditione materiæ oriebatur, addidisse homini justitiæ originalem, qua veluti aureo quodam freno pars inferior superiori, & pars superior Deo facile subiecta contineretur. Sic autem subiectam fuisse Spiritui, ut non posset ipso invito moveri, neque ei rebellis fieri, nisi ipse fieret rebellis Deo, in potestate tamen Spiritus fuisse rebellem Deo fieri & non fieri. Et pag. 17. Pugna illa inter partem hominis inferiorem & superiorem naturalis futura erat, i. e. ex conditione materiæ secutura, nisi Deus donum justitiæ homini addidisset. Quare non magis differt status hominis post lapsum Adæ à statu ejusdem in puris naturalibus, quam differt spoliatus à nudo; neque deterior est humana natura, si culpam originalem detrahas, neque magis ignorantia & infirmitate laborat, quam esset & laboraret in puris naturalibus condita. Et hanc communem Doctorum Scholasticorum veterum & recentiorum sententiam esse ait. Denique pag. 18. verbis THOMÆ subjicit: *Natura igitur humana talis nunc est ex sententia S. Thomæ, qualis fuisset, si donum illud supernaturale nunquam habuisset, eo excepto, quod nunc est pœna ex peccato inflicta, quod tunc ex natura & conditione materiæ profuisset.* Ubi concupiscentia limites rationis transcendens futura fuisset, ut languor & vitium naturæ, non ex intentione conditoris, sed ex conditione materiæ consequens. Similia, imò fere eadem leguntur p. 25.



27. 28. 32. 34. 37. quæ omnia hûc transcribere nimis prolixum foret.

§. II.

Nos verò statum hunc purorum naturalium, sive dicatur; hominem in eo ACTU CONDITUM fuisse, quam sententiam ESTIUS tribuit *Magistro, Hugoni à S. Victore, Ruperto, Alexandro Alensi, Bonaventura, Scoto, Richardo* aliisque; sive, hominem saltem in eo statu CONDI POTUISSE, quæ *Bellarmini & aliorum* mens est, purum putum Scholasticorum figmentum ex impuris Paganorum & Pelagianorum lacunis hausum esse asserimus.

I. Quia repugnat *Div. Sanctitati*. Natura enim hominis, qualis in se ac per se est, DEO utique originem suam debet; Quòd si ergò propensio ad malum vel ad motus rationi adversos in ea locum habuisset, sine dubio ipsi DEO tanquam auctori naturæ id tribuendum foret; quod enim naturâ inest, & quidem in statu naturæ puræ, id à DEO esse necessum est. Jam vero impossibile est, à DEO optimo & sanctissimo propensionem ad malum provenisse. *Excipit BELLARMINUS*, proclivitatem istam ad rebellionem non DEO, sed conditioni materiæ originem suam debere, adeoque præter intentionem DEI saltem per accidens in homine exitisse. Verùm inane hoc est effugium, cum DEUS non autor solum naturæ humanæ, sed & conditor materiæ sit. Unde recte *JANSENIUS*: *Quantumvis*, ait, *per accidens oriatur ex conditione materia illa motuum istorum cum recta ratione repugnantia, tamen repugnantia non est per accidens DEO. Quid enim potuit materia corporalis, quid anima, quid ipsa creatura rationalis facere, ne ita instituat, sicut eam instituit Deus? Cum ergo in tali natura eam Deus condit, in qua non potest non contra rationem virtutemque concupiscere, perspicuum est, hoc Deo, non creatura, esse tribuendum, & proinde totam inhonestatem ac turpitudinem concupiscendi*



*piscendi veluti per canalem redire in Deum.* Quod citra blasphemiam ne cogitari quidem potest.

II. Repugnat *bonitati, puritati* atque *integritati naturæ humane*, quam facer Historicus deprædicat, quando *omnia valde bona* à Deo creata Gen. I. 31. adeoque & præcipue hominem valde bonum, hoc est integrum, purum, justum, sanctum, rectum, *ישׁר* Ecclesiast. VII. 30. conditum esse affirmat. At, quæso, quomodo creatura rationalis valde bona dici potest, quæ ad omnia vitia præceps ac proclivis est? Quomodo natura pura dici potest, in qua hæret concupiscentia prava rectæ rationi & multo magis Deo repugnans? Aut, quomodo cum rectitudine stare potest curvitas, obliquitas, vel appetitus inordinatio? Sanè, non est rectum opificium, quod fulcro indiget, ne ruat; neque natura sana atque integra dici potest, quæ correctione & remedio opus habet.

Nec juvat dicere, hominem in illo quidem statu purorum naturalium re ipsa conditum non fuisse, sed saltem condi potuisse; Quia æque absurdum atque impium est, dicere, potuisse à Deo proficisci proclivitatem ad malum, quam actu ab ipso profectam esse; imò rebellionem istam, saltem quoad actum primum, in primo homine revera actu exitisse, stante hac hypothesi, negare non possunt adversarii, id quod ex verbis BELLARMINI supra allegatis luculenter constat. Quod vero idem dicit: *si Deus hominem in puris naturalibus condidisset, fecisset quidem rectum in eo sensu, quia nullum ei vitiosum habitum in se visisset, sed obnoxium tamen rebellionem carnis adversus spiritum*, id aperte contradictorium est. Rectus enim non est, qui rebellionem ex se & natura sua obnoxius, & ad hanc pronus est.

III. Repugnat *natura peccati & concupiscentiæ*; impossibile enim est, ut peccatum etiam laxè sumtum (quod ideo addimus, quia Bellarminus rebellionem istam *proprie peccatum esse*



esse negat) vitium & languor, qui remedio ac correctione opus habet, naturæ per se & in statu instituto conveniat; nec unquam fieri potest, ut pugna carnis adversus Spiritum sit ordo naturalis, cum juxta hunc inferior superiori potius absque rebellionem parere debeat. Jam vero in statu purorum naturalium concupiscentia illa & pugna carnis adversus spiritum homini utique naturalis fuisset, quod quam absurdum sit dicere, vel ex ipsis terminis patet; Nullum enim vitium, dicente ESTIO, homini naturale est, si scilicet primam naturæ originem spectes. *Bellarminus* ad hoc argumentum *responsurus p. 27.* ait, concupiscentiam utique naturalem fuisse, sed non ut bonum aliquod naturæ, verum ut defectum & morbum quendam naturæ ex conditione materiæ ortum; quare rectissimè dicatur, eam non esse ex DEO, odio, non amore dignam, malam, naturæque contrariam, quia præter intentionem auctoris naturæ in eâ extitisset, si in puris naturalibus homo creatus fuisset, & quia DEUS eam per donum justitiæ sustulerat. Verum, si defectus iste, morbus aut languor naturæ ex ipsâ conditione materiæ, ex quâ natura hominis ex parte constat, ortus fuit, non potest non origo ejus in ipsum DEUM, tanquam conditorem materiæ, referri; adeoque dicendum erit, talem à DEO conditam fuisse naturam hominis, quæ vitio aut morbo laboraret, & propterea correctione inde à primo existentiae suæ momento opus habuerit. Imò, quod natura hominis, respiciendo ad concupiscentiam, ad quam proclivis erat, odio creatoris sui digna fuerit, quod ἀθεόλογον est.

Denique, quod confirmationis loco subjungimus, adversatur ista sententia de puris, vel rectius impuris, naturalibus totj *analogia fidei*, id quod CALOVIVS breviter & nervosè ita demonstrat; quia repugnat doctrinæ (I) *de DEO*; quem aut non autorem esse eorum omnium, quæ homini naturalia sunt, aut certe autorem esse peccati, fatendum erit, si quidem concupiscentia



scientia illa naturalis fuisset primo homini, ita, ut in eo præceptum  
 ad vitia inclinatio locum habuisset, quod Bellarminus non ve-  
 retur asserere, *l.c. pag. 34.* (2) *De homine in statu integritatis;* quia  
 ex illa sententia sequitur, justiciam originalem actum primum  
 concupiscentiæ è natura non sustulisse, sed actum solum secun-  
 dum impedivisse & inhibuisse, adeoque motus vitiosos in ipso  
 etiam statu innocentiae à justitia originali cohibendos fuisse;  
 nam ubi nulla est rebellio, non opus est freno; ubi nullus mor-  
 bus, non opus est remedio. Ad hæc justiciam originalem non  
 fuisse donum adeo excellens, sed tegmen tantum vitii natura-  
 lis & medicinam palliativam, per quam morbus non sublatus,  
 sed solum tectus & quasi retardatus fuerit. (3) *De peccato origi-  
 nali;* quia aut nullum jam erit peccatum originis, quod lapsui  
 Adami tribuendum sit, aut ante lapsum non locum habuit con-  
 cupiscentia illa, quæ ipsum originis peccatum est. (4) *De Li-  
 bero Arbitrio;* quia si talis est status naturæ lapsæ, qualis ante  
 lapsum puræ futurus erat, non magis erit nunc servum arbitri-  
 um, quam in illo statu, quemadmodum profitetur *Bellarmini-  
 nus*, non magis nunc rebellem esse carnis nostræ impetum ad-  
 versus Spiritum, neque ante peccatum saniora aut puriora fuisse  
 naturalia in se spectata, quam modo sint post peccatum, cum  
 naturalia in Angelis & homine etiam post lapsum manserint  
 integra, quo pacto plenis velis invehitur Pelagianismus. (5) *De  
 Renovatione;* sequitur enim ex illa sententia, luctam carnis ad-  
 versus Spiritum vere & proprie peccatum non esse, quia fuit  
 ante peccatum; Item, legem à renatis impleri posse, & bona  
 opera renatorum vere esse meritoria vitæ æternæ, & quæ alia  
 hujus generis sunt dogmata dudum recepta ab Ecclesia Ro-  
 mana. (6) *De Christo;* Si enim naturalis est homini concupiscentia  
 carnis ante & extra peccatum, necessum est, ut etiam Chri-  
 sto tribuatur, quippe qui naturalia omnia assumpsit, nobisque  
 per omnia similis factus est, excepto peccato; At, quis tribuat  
 B carni



carni Christi proclivitatem ad vitia citra manifestam blasphemiam. (7.) *De statu alterius vita*; nam si è conditione materiae necessario sequitur concupiscentia carnis & rebellio adversus spiritum, dicendum erit, in ipsis quoque beatis rebellionem istam futuram esse, ad minimum ratione actus primi, quod absurdum. Tantum abest, ut hypothesis ista pro controversia nullius aut exigui momenti haberi debeat, ut potius universam propemodum Theologiam pervertat, & radix quasi sit amara illa, ex qua pleraque Papatus quæ talis dogmata progerminant; Id quod in medio Papatu agnovit CORNELIUS JANSENIUS in *Augustino suo, de Statu Natura pura*; Nec non GUILIELMUS ESTIUS, Duacensis Theologus primarius & Cancellarius ad *Lib. II. Sentent. dist. XXX. prolixè.*

§. III.

Sed videamus nunc, quibus RATIONIBUS & argumentis BELLARMINUS & qui cum ipso faciunt, commentum hoc stabilire conentur.

I. *Naturale est, inquit, corpori animali concupiscere bonum sensibile, spiritui vero rationali concupiscere bonum spirituale, consequenter, si fiat una natura ex his duobus principiis conflata, naturale erit illi, habere diversas easq. inter se pugnantis propensiones.*

II. *Neesse est, pergit, aliquam esse causam rebellionis carnis ad spiritum, sive corruptionis, quæ nunc est in natura humana. Jam vero illa non est à Deo 1. Joh. II. 16. Jac. I. 13. neque a pomo vetito, aut à flatu serpentis, quippe quæ duæ sententiæ plane sunt improbabilis; Neesse igitur est, ut sit à puris naturalibus, remoto dono supernaturali.*

III. *Subjungit: Quemadmodum per peccata, quæ post lapsum committuntur, solum amittitur donum gratiæ supernaturalis, non vero donum aliquod naturale: Ita probabile non est, ex peccato Adæ naturalia principia sive dona potuisse corrumpi, neque concupiscentiam illam nasci, nisi ea, remoto justitiæ originali dono*



dono, ex ipsa natura è contrariis composita consecuta fuisset. \* Reliqua argumenta producemus in sequentibus.

§. IV.

Verùm RESPONDETUR ad I. Bonum *sensibile* & bonum *spirituale* in se quidem considerata sunt *disparata*, respectu vero hominis constantis ex anima rationali & corpore animali sunt *subordinata*, proinde male sibi invicem opponuntur, ut *contraria*. Hinc JANSENIUS: *Esto, inquit, sit homini naturale per appetitum sensitivum concupiscere, non est ei tamen naturale contra spiritum & rationem concupiscere, sed hoc potius contra naturam ejus est; naturalis enim ordo, dicente Augustino, desiderat, carnem spiritui esse subjugalem.*

Ad II. Corruptio, quæ nunc est in natura humana, utique non est à Deo, neque à pomo vitæ, aut à flatu serpentis, sed nec à puris naturalibus, aliàs eo ipso esset à Deo, tanquam autore naturæ & conditore materiæ; verùm à seductione Diaboli, & abusu liberi arbitrii. Quid enim aliàs dicendum erit de Angelis, in quibus ex conditione materiæ, cum sint immateriales, nulla potest fingi rebellio, & quos non nisi per abusum liberi arbitrii malos factos esse constat; quare idem quod de homine tenendum est.

Ad III. Disparem esse rationem status *primevi* & *moderni*; Quod enim pro præfenti statu supernaturale est, id homini integro erat naturale, & proinde per lapsum non poterat non corrumpi; Quo exactior enim est reconditudo, eo facilius ea infringi potest per quamcunque curvitatem. Ut non dicamus, etiam nunc dona naturalia sæpius amitti & corrumpi per consuetudinem peccandi, imò & quandoque per unicum actum enormiter peccaminosum, id quod experientia quotidiana, abundè testatur.

B 2

DE

\* L. de grat. primi hom. c. 6. p. 25. lqq.



PUNCTUM TERTIUM.  
DE JUSTITIA ORIGINALI.

§. I.

RECTitudinem, quam primus homo in creatione accepit, & sine qua post lapsum omnes nascimur, donum *supernaturale* fuisse, non naturale, docet BELLARMINUS *Lib. de Gratiaprimi hominis, C. V. & VI.* & exinde deducit, quod, amisso per lapsum hoc dono supernaturali, naturalia manserint integra, uti in dæmonibus, ita & in homine. Circa explicationem verò terminorum monet, dici aliquid naturale, *primò* quidem, quia habetur à nativitate; *secundo*, quia naturæ est consentaneum, eamque ornac ac perficit, & his duobus modis fatetur justitiam originalem dici posse naturalem. At, *subjungit*, hoc in loco id propriè disputari, utrum naturalis dici possit, eo sensu, quo naturale vocatur, quod aut est pars naturæ, aut fluit è principiis naturæ; quod utrumque negat & rectè. Neque enim in hoc contradicentes nos habet, adeoque statum controversiæ pervertit. Quod enim ita est naturale, ut sit pars naturæ, id naturale dicimus *constitutive*; quemadmodum id, quod fluit è principiis naturæ, naturale *consecutivum* appellari solet. Jam verò neutro modo justitiam originalem homini naturalem fuisse asserimus; Sed præcisè in eo adversariis contradicimus, quod rectitudo concreata non habuerit sese per modum doni alicujus accessorii & freni quasi aurei, quo rebellio & concupiscentia illa carnis adversus spiritum ex conditione materiæ orta, adeoque primo homini naturalis, reprimenda, refrenanda ac coercenda fuerit, ne in actum erumperet, & quo excusso naturalia ramen manserint integra; Sed quod fuerit habitus primis nostris parentibus con-  
creatus, iisque naturalis, non quidem *constitutive* aut *con-*  
secu-



secutive, sed tamen *subjectivè ac perfectivè*, ipsi quippe naturæ à DEO implantatus & per modum perfectionis connaturalis ac homini integro debitæ intime infixus, quod de freno respectu equi ferocis compescendi dici nequit; tum verò & *transitivè*, ut propagari potuerit in statu integritatis per generationem naturalem, quod BELLARMINUS negat, quando ex Durando: *Justitia*, ait, *originalis non fuisset transfusa in prolem, sed huic à Deo infusa fuisset, sicuti Parentibus fuit à Deo gratis collata.* p. 20.

§. II.

Ex quo manifestum est, controversiam nobis cum adversariis in hoc puncto non esse solum de voce *supernalis*, sed de re ipsa, quæ nisi recte decidatur, primarii religionis nostræ articuli, quales sunt, de peccato originis, libero arbitrio &c. misere corrumpuntur, uti rectè judicat B. MEISNERUS in *Anthropol. Dec. I. Disp. II.* Tam arctè verò hoc punctum cum priori, de statu scilicet purorum naturalium, coheret, ut stante uno vel cadente, alterum quoque stare aut cadere necessum sit. Nam si primo homini non fuit naturalis ignorantia ex parte intellectus, oportet ipsum naturâ scientia & sapientia præditum fuisse; Si naturalis non fuit rebellio seu propensio ad pugnam, naturalem ei oportet fuisse harmoniam & conformitatem omnium facultatum cum sanctissima DEI voluntate; Et hoc ipsum est, quod heic asserimus, hominem nempe ita rectum à DEO conditum esse, ut mens ejus naturaliter plena fuerit notitia rerum præsertim divinarum, ut omnes actus voluntatis consenserint cum lege DEI naturæ impressa, ut omnes affectus motusque extiterint sancti, ordinati, integri, & proinde nihil in homine corrigendum, nihil compescendum aut refrenandum fuerit. Juvat tamen, pro hâc assertione nostra nonnulla proferre argumenta, ut veritas ejus eo magis in aprico ponatur. *Ista verò hûc potissimum redeunt:*



I. Agnoscunt adversarii, quibus cum nobis heic sermo est, & fatentur, quod Justitia originalis statim initio creationis in homine existerit, simul atque is è manu quasi DEI creatrice prodiit, neque ei jam existenti, post aliquod temporis intervallum, demùm superaddita fuerit. Jam verò omne concreatum sine dubio rectius dicitur naturale aut connaturale, quam donum supernaturalis; quo nomine ea venire solent, quæ non vi primigeniæ creationis in homine existunt, sed per gratiam quandam peculiarem eidem accedunt; id quod ex inductione atque ex ipsis terminis patet. Ita notitiæ post lapsum in nobis residuæ naturales dicuntur, quia *φύσει naturά* nobis insunt, Rom. II. 15. Similiter ergò sapientia & justitia concreata primo homini naturalis dicenda erit, quia naturæ ipsius in ipsa creatione quasi implantata, adeoque *ἐμφυτῶ* vel insita fuit. Sive dein notitiæ illæ imaginis divinæ rudera dicantur & reliquæ, quæ communis veterum sententia fuit, sive non; quam litem de præsentī nostram non facimus.

II. Contrariorum eadem est ratio. Sicuti ergo peccatum originale nobis est naturale post lapsum, & per generationem propagatur in liberos, ita ut omnes *φύσει naturά* simus filii iræ Eph. II. 3. Ita etiam justitia originalis primis nostris parentibus fuit naturalis, & sine dubio ab his in posteros propagata fuisset, siquidem illi in integritate concreata perstitissent. Quemadmodum enim Adamus lapsus filium genuit *ad imaginem suam* Gen. V. 3. Ita non est dubium, quin integer genuisset filios *ad imaginem Dei*. Quod verò hæreditarium est, supernaturale dici non debet.

III. Beatitudo æterna fuit *finis* primo homini *naturalis*, necesse igitur est, ut & media finem hunc consequendi fuerint eidem naturalia. Alias conditio primi hominis deterior fuisset condicione



dicione reliquarum creaturarum, quantumvis ignobiliorum, quæ singulæ finem suum, ad quem à DEO conditæ sunt, per media naturalia obtinere possunt. Distinguit quidem *Bellarminus* in *Resp.* ad hoc argumentum, & beatitudinem naturalem fuisse concedit, quoad *appetitum*, sed non quoad *consecutionem*. Neque, *addit*, aut *novum*, aut naturâ hominis *indignum* est, ut naturaliter appetat; quod non nisi supernaturali auxilio consequi valet. Non novum, siquidem animæ hominum solutæ corporibus naturalem habent ordinem & propensionem ad corpora, quorum formæ fuerunt, nec tamen his sine supernaturali auxilio iterum conjungi possunt. Neque indignum naturâ hominis, sed contrâ potius ad maximam ejus dignitatem pertinet, quod ad sublimiorem finem condita sit, quàm ut eum solis naturæ viribus attingere possit. VERUM inanis est hæc distinctio & gratis conficta. Cùm enim cætera animantia non appetant solùm naturaliter finem suum, sed eundem quoque per media naturalia consequantur, nulla ratio solida dari potest, cur non idem de homine in statu suo primævo dici queat. Neque aliud docet exemplum animæ separatæ, quia status solutionis à corpore ei non est naturalis, sed præter, imò contrâ naturam ejus; Nobis verò hic de homine sermo est, pro illo statu, in quo natura hominis à DEO initio condita fuit, cujus sine dubio major erit dignitas & perfectio, si dicatur, eam à DEO tam præclaris dotibus instructam fuisse, ut supernaturali auxilio ad consequendum finem suum opus non habuerit.

§. III.

Sed pergit *BELLARMINUS*, & NOVAM sibi OBJECTIONEM format his verbis: *Dicet fortasse quispiam: Esto, egeat homo supernaturalibus mediis, tamen id sequetur, ut non potuerit sine mediis illis creari, ac per hoc non potuerit talis creari, qualis nunc nascitur.* RESPONDET autem: *Æquum omninò fuisse, ut Deus homini ad finem tam sublimem ordinato media non necessaria non negaret, ta-*  
wen



*men nihil absurdi secuturum, si negasset. Nam tamen si summa illa beatitudo sit finis homini naturalis, tamen est finis impropor-  
 tionatus, & præterea habet homo alium finem naturalem sibi omninò proportionatum, qui est, ratiocinando inquirere verita-  
 tem: Quare potuit Deus hominem per naturalia media ad finem natu-  
 rae sua proportionatum perducere, nec altius evehere; Cujus rei  
 exemplum habemus in vespertilione, qui naturalem habet capacita-  
 tem & appetitum videndi solem, & tamen credibile est nunquam fu-  
 turum, ut is videat solem, sed lumen tantùm debile & subobscurum,  
 quod est objectum oculorum ejus, non solùm naturale, sed etiam propor-  
 tionatum. Sed hæc multis modis peccant. Nam 1. Si æquum omninò  
 fuisset, ut Deus homini media necessaria non negaret, sequeretur  
 utique grande illud absurdum, quod absque blasphemia de Deo  
 ne cogitari quidem potest, scilicet, quod aliquid fecerit contra  
 æquitatem naturalem, siquidem media ista homini denegasset.  
 2. Si beatitudo summa finis fuit hominis naturalis, etiam fuit finis  
 proportionatus, in ordine ad naturam integram. 3. Ratiocinando  
 inquirere veritatem, non est finis hominis adæquatus, sed altius  
 is ex intentione Creatoris sui erat evehendus, scilicet ad hujus  
 ipsius tanquam summi boni fruitionem. 4. Simile de vesperti-  
 lione hûc non quadrat, nisi quod ipsum Cardinalem insigniter  
 cœcutire ostendit. Quis enim credat, in vespertilione esse natu-  
 ralem capacitatem & appetitum videndi solem, cujus lucem po-  
 tius naturaliter averfatur & fugit? Aut, quæ similitudo inter homi-  
 nem integrum & vespertilionem? Nonne multo rectius com-  
 paratio hic institui posset inter aquilam naturali solem videndi,  
 non appetitu solùm, sed & capacitate præditam, & inter hominem,  
 ad visionem Dei naturaliter adspirantem: vel inter Adamum  
 primum & secundum, hoc modo, ut quemadmodum justitia &  
 sanctitas Christo secundum naturam humanam procul omni du-  
 bio naturalis erat, ita eadem quoque Adamo primo æquè na-  
 turalis fuerit; hæc enim collatio fundamentum habet in Scri-  
 ptura*



pcurâ, juxtâ quam primus Adam typus erat τὸ μέλλον. Rom.  
V. 14. I. Cor. XV. 47.

§. IV.

Inter ipsos autem Doctores Pontificios hâc in parte nobiscum sentiunt GREGORIUS *Ariminensis*, PERERIUS, ESTIUS, & imprimis HENRICUS *Gandavensis*, qui rectitudinem homini naturalem fuisse probat ex eo, quia ex sententia omnium Theologorum homo propter peccatum Adâ non modo spoliatus sit donis gratuitis, sed & vulneratus in naturalibus. Equidem BELLARMINUS hæc duo, scilicet, quod naturalia in homine post lapsum manserint integra, & quod natura nostra per peccatum sit vulnerata, conciliare conatur l. c. pag. 22. 23. quando ait: Ex ipsa amissione iustitiæ originalis nata esse vulnera nostra natura, siquidem donum illud iustitiæ non solum tegebat, & ornat, sed etiam curabat & sanabat languorem illum, qui ex conditione materiae alioqui pullulasset. Proinde ex naturâ humanâ dono illo iustitiæ spoliata sibi relicta continuo plagæ & vulnera eruperunt, quæ omnes ex Adâmo nati experimur. Neque repugnat, naturalia post lapsum mansisse integra, & naturam nostram per peccatum vulneratam & corruptam esse; nam eadem natura, si referatur ad eum statum, in quo esse potuisset, si in puris naturalibus creata fuisset, integra dici debet; si verò statum illum respiciamus, ad quam benignitate conditoris fuerat erecta, vulnerata & corrupta dicenda est. &c. At nemo non videt, ista simul stare non posse, & conciliationem hanc reverâ nullam, ac oppidò absurdam esse. Quòd si enim vulnera ista, uti Cardinalis loquitur, & plagæ, sublatâ iustitiâ originali, ex ipsâ naturâ sibi relicta eruperunt, non demum à latrone infernali inflicta dici possunt, sed ipsi auctori naturæ originem suam debent; multo minus naturalia post lapsum integra manserunt, imò ne quidem ante lapsum integra fuerunt, aliàs remoto dono supernaturali ex ipsâ naturâ erumpere non potuissent. Quis  
C autem



autem ferat talem loquendi modum, quod vulnera, quæ omnes ex Adamo nati experimur post lapsum, ex ipsâ naturâ eruperint. Numquid hoc parabola ista docet? & non potius, quod vulnera ista homini sano à latronibus, per violentiam externam, inflicta fuerint? Nonne cura illa merè palliativa fuisset, si quidem plagæ istæ ex ipsâ natura dono justitiæ spoliata sponte suâ erupissent? Et quis unquam fando audivit, hominem per nudam spoliationem lethaliter vulneratum fuisse, & tamen, hoc non obstante, nihilominus in naturalibus integrum mansisse? Adeò *diverſæ* hæc sunt & malè coherentia, ut nullâ planè ratione conciliari queant. Et si vel maximè parabola ista de jaçturâ donorum & virtutum, quam primus homo peccando fecit, exponenda esset, multò magis pro nostrâ sententia ea militaret, quàm pro sententia adversariorum, prout ex hæcenus dictis manifestum est. Vulnera enim corpori naturalia nemo dicit, ergò nec vulnera animæ, quæ in natura corruptâ apparent, consequenter integritatem potius & justitiam originalem primo homini naturalem fuisse fatendum erit.

§. IV.

Cæterùm dona supernaturalia in primo quoque homine locum habuisse non inficiamur, prout *Bellarminus* id nobis falso tribuit, quasi cum Pelagianis hæc in parte sentiremus. *l. c. p. 2.* Nam inhabitationem gratiosam Spiritus S. & dona, quæ ex eâ redundant, & assistentiam ac curam divinam, quis homini ad imaginem Dei condito denegaret? Ista verò non fuisse partem imaginis divinæ, sed adjuncta ejus vel consequentia, quæ homini in imagine condito accesserunt, libenter agnoscimus. Imo plus nos dicimus, quam *Bellarminus* admittit. Dum præter auxilium gratiæ *adjuvantis*, quo Adamum is indigniſſe docet *l. c. cap. 4.* gratiam quoque *moventem & excitantem* in primo homine locum habuisse asserimus. Etiamſi enim homo liberè voluerit & operatus fuerit bonum, non tamen ei defuit Spiritus

tus



tus S. gratia sua movente & excitante; siquidem Deus tum per ipsam promissionem obedientiæ vitæ factam, tum per internas suggestiones & motus eundem excitasse commodè dici queat; neque illa excitatio tantum usui est, uti quidem *Bellarminus* putat, cum quis impeditur à concupiscentia carnali, sed etiam, ne quis externæ tentationi locum relinquat; Quo pertinet illud *Augustini*: \* sicut oculus corporis etiam plenissimè sanus, nisi candore lucis adjutus, non potest cernere: Sic homo etiam perfectissimè justificatus, nisi aeternâ luce justitiæ divinitus adjuvetur, rectè non potest vivere. Et sanè, qui Θεὸν ἔχασιν εὐκον καὶ εὐοικον, ut *Damasceus* loquitur, \*\* iis auxilium gratiæ excitantis & adjuvantis deesse nequit. Equidem *Petrus à SOTO* ad verba *Confessionis Wirtenbergica*: *Hominem initio Spiritu Sancto ornatum & felicem à Deo conditum esse*, in scholiis suis annotavit, hoc neque in *Scripturâ Sacra* alicubi apertè dici; neque aliquâ necessariâ ratione colligi; neque per *Ecclesiam* unquam certò definitum esse. Verùm Respondit ei *BRENTIUS* noster \*\*\*: *Potestne esse aliqua animi rectitudo & integritas absque Spiritu Sancto? Et quid? an Adam non verè cognovit Deum? Non obedivit Deo, prius quam peccavit? Potest autem esse vera Dei cognitio & obedientia absque Spiritu sancto? Non ignoro Augustinum negare, quod Adam recens creatus habuerit Spiritum S. ... Sed hæc sententia in eorum pertinet catalogum, quæ in tanto Heroe dissimulanda magis, quàm exagitanda sunt &c.* Cæterùm, ne quid dissimulemus, fateri nos oportet, in designandis donis istis supernaturalibus variare Theologos nostros, dum v. g. *CALOVIVS* \*\*\*\* *Inhabitationem gratiosam S.S. Trinitatis inter dona supernaturalia refert*; *FECHTIVS* autem \*\*\*\*\* ait: *Gratia Divina & inhabitatio SS. Trinitatis in primo homine*

C 2

non

\* L. de Nat. & Grat. cap. XXIV.

\*\* L. II. de O. F. Cap. XI.

\*\*\* in Apolog. Confess. Wirtenb. p. 244.

\*\*\*\* in Syllimate T. IV. pag. 611.

\*\*\*\*\* Sylloge Disp. XIV. Th. V. & VI.



non supernaturalis fuerat, quippe imaginem Divinam indivulso nexu consequens, & pro hac Thesi allegat B. Osiandrum. Non neganda tamen sunt primo homini dona alia supra naturam posita, revelatio imprimis extraordinaria, & quæ ei erant connexa Gen. II. 16. Idem verò B. OSIANDER\* inhabitationem hanc supernaturalem vocat, quia se non habuit per modum qualitatis concreatae, neque per generationem fuisset propaganda. Per hanc verò qualemcunque variationem assertioni nostræ generali, quâ dona supernaturalia in primo homine locum habuisse statuimus, nihil decedit.

§. VI.

ARGUMENTA contraria BELLARMINI & aliorum paucis expediri possunt. *Primum* desumptum est ex Gen. III. 17. & peculiariter concernit immortalitatem primi hominis, de quo infrâ. *Secundum* huc redit, quod dona primo homini initio collata vocentur gloria & honor, quo Deus coronavit hominem Psalm. IIX. 5. XLIX. 21. consequenter sint aliquid extrinsecum & superadditum. At, præterquam quod in priori loco sermo sit non de homine primo, sed de Christo, interprete Apostolo. 1. Cor. XV. 27. Heb. II. 9. in posteriori autem de homine, non integro, sed lapsò, instar jumenti pereunte; non sequitur, per gloriam & honorem aliquid solum extrinseci designari, cum & Deo gloria tribuatur, quæ ei quammaxime essentialis & intrinseca est. *Tertium* fundatur in verbis Syrac. XVI. 13. *Vestivit eos virtute.* Sed stylo Scripturæ non omne vestimentum externum est, cum Jobus X. II. dicat: *Pelle & carnibus vestivisti me.* Conf. Psalm. CIV. 1. Matth. VI. 30. *Quartum* petium est è Parabola Luc. X. de homine, qui in latrones incidit, quam pro nostra potius sententia militare paulo ante diximus. Quæ verò è Patribus adduxit Cardinalis, partim è scriptis nothis aut dubiis petita; partim prorsus ἀπροσδύνατα sunt.

PUN-

\* in Colleg. Controvers, pag. 57.



PUNCTUM QUARTUM.  
DE  
IMMORTALITATE PRIMI HOMINIS.

## §. I.

Immortalitatis, quæ in primo homine locum habuit, eadem ferè ratio est, quæ justitiæ originalis. BELLARMINUS *L. cit. capite quidem octavo pag. 38.* Adamum ejusque posteros nequam mori potuisse, nisi peccassent, contra Pelagianos docet; *Capite autem nono pag. 41.* immortalitatem primi hominis supernaturalem fuisse contendit, & inter alia inquit; *Cum hominis natura ex contrariis elementis atque humoribus constet, intrinsecam potentiam ad corruptionem habet: Proinde immortalitas est ei præter naturam, vel potius supra naturam, mortalitas autem naturalis.* Et paulo post: *Si in puris naturalibus homo fuisset conditus, potuisset utique sine ulla Dei injustitia mori: Quia verò Dei benignitate moriendi necessitas ab hominis natura sublata (rectius dixisset sufflaminata) & in peccati stipendium commutata erat, non potuit sine injustitia fieri, ut homo sine ullo culpæ merito moreretur. Præterea mors, quæ homini in puris naturalibus condito, Natura debitum fuisset, nunc sine dubio pœna est.* Quâ in parte consentientes habet Socinianos.

## §. II.

Nostra verò sententia est, immortalitatem primo homini non minus naturalem fuisse, ac ipsam justitiam originalem, de quâ in puncto præcedente dictum. Quod ipsum tamen de immortalitate non absoluta, qualis independenter soli Deo: ex naturæ simplicitate spiritibus creatis: per glorificationem vero corporibus beatorum competit; Sed ordinatâ ac hypotheticâ intellectum volumus, hoc sensu, quod primus homo & potuerit



non - mori vitamque continuare per media purè naturalia, sine speciali, extraordinario & gratioso Dei auxilio ; Et non poterit mori ex intrinseco aliquo naturæ defectu, quousque non peccaret. Quod probatur:

I. Quia, quod valdè bonum est, id nullo intrinseco laborat defectu ; Atqui natura hominis è manu Dei creatrice prodiit *valdè bona* Gen. I. 31. Ergò nullo laboravit defectu, consequenter nec mori potuit ex intrinseco aliquo defectu ; sed naturaliter potius erat immortalis, seu non - mortalis, dicto sensu.

II. Sicuti mors, ita quoque ipsa *mortalitas* est pœna peccati ; unde *Symmachus* verba comminationis Div. *Morte morieris*, ita reddidit : *Mortalis eris* ; quam versionem *Hieronymus*, satente *Bellarmino l. c. pag. 39.* tanquam genuinam laudavit. Necessè igitur est, hominem naturaliter non fuisse mortalem, sed potius immortalem ; quod enim pœna peccati est, non potest esse sequela naturæ puræ, qualis ea ab ipso Deo condita fuit. Aliàs, *Si mortalem hominem fecisset initio Deus, sanè posset auctor mortis videri* ; rectè ait *Theophilus Antiochenus.*

III. Quemadmodum Deus *mortem non fecit* Sap. I. 13. ita nec mortalitatis auctor existit, sed utraque *invidia diaboli in mundum intravit.* Sap. II. 23. Rom. V. 12. Quòd si verò necessitas moriendi ex ipsa naturâ hominis & ex conditione materiæ secutura fuisset, uti *Bellarminus* in verbis supra allegatis ait, sine dubio Deus tanquam auctor naturæ & conditor materiæ ipsius quoque mortalitatis causa fuisset, quod admitti nequit, cum Deus hominem potius creâsse dicatur *ἐν ἀφθαρσίᾳ, incorruptibilem & immortalem.* Corpus enim ἀφθαρτον corpori θνητῷ seu mortali directè opponitur. 1. Cor. XV. 42. Hinc *Bellarminus* ipse cap. 8. ubi contrà Pelagianos disputat, non au-

det



det dicere, quòd corpus hominis ante peccatum simpliciter mortale fuerit, sed solum ait, fuisse illud *aliquo modo mortale*; quod & nos, de potentia scilicet moriendi *remota*, sive nudâ non - repugnantia facile admittimus. Interim sufficit nobis, quod homo in eo statu fuerit conditus, in quo poterat non - mori, citrà speciale Dei auxilium, & absque dono supernaturali.

§. III.

ARGUMENTUM *primum* & palmarium; quo sententia contraria nititur, hoc est: *Corpus primi hominis compositum fuit ex contrariis elementis, adeoque intrinsecam & naturalem potentiam habuit ad corruptionem & mortem, quæ ex humorum intemperie naturaliter necessario sequuta fuisset, nisi iustitia originalis per modum doni supernaturalis accessisset.* Ex quo patet, *περωτον θεωδω* adversariorum consistere in hoc, quod naturam hominis æstimant ex statu ejus & conditione præsentis, in quâ nunc est post lapsum. Quia scilicet vident, corpus humanum laborare de præsentis intemperie quâdam humorum & *δυσκρασία* temperamenti, perperam exinde colligunt, intemperiam istam & *ἀραξίαν* primo homini naturalem fuisse, atque ex ipsis naturæ humanæ principiis profluxisse, in quo sanè turpiter errant ac falluntur. Natura enim corporis humani non simpliciter æstimanda est è qualitatibus elementaribus, alias etiam corpus *Christi* naturâ corruptibile, & corpora beatorum in resurrectione corruptibilia dicenda forent, quod absurdum; Sed imprimis respiciendum est tum ad *temperamentum*, quod longe optimum à Deo creatore accepit corpus humanum, ita ut perfecta omnium qualitatatum harmonia in eo locum haberit: Tum ad *Spiritum vitæ*, quem ex inspiratione Divina acceperat, & qui primitus ita unitus fuit corpori, ut naturæ humanæ vitam adferret perpetuam, siquidem Deo perpetuò ad hæssisset; Tum denique ad *potentiam Dei Creatoris*, qui sine dubio



dubio contrariantes qualitates elementorum in corpore humano ita temperare potuit, ne natura hominis per se ad corruptionem & interitum vergeret, si vel maxime corruptibilitas materiæ naturaliter adhæsisset, id quod de potentia *remota* admitti forsitan potest, de *proxima* autem, per peccatum demum & subsequenter maledictionem introducta, constanter negatur. Materiam enim accusari non posse, tanquam causam proximam mortalitatis, quin accusetur ipse Deus, *Tertullianus* solidè ostendit contra *Hermogenem* aliosque *Materiaris*, quibus Pontificii eo iniquiores in Deum videri possent, quod *Hermogenes* materiam illam malorum originem Deo potius coæternam statuere, quam mala ad ipsum Deum referre voluit: Hi verò Deo illa tribuunt, quasi is materiam aliter non condiderit, nec condere potuerit aut voluerit, quin naturaliter mortalitas, & quæ alia hanc comitari solent mala, ex eâ redundarent; quod sane utrumque Deo indignum est.

## §. IV.

*Secundum* Argumentum, quo Bellarminus utitur, concludit à *generabilitate* hominis ad ejusdem mortalitatem ac corruptibilitatem: *Homo*, inquit, *in statu innocentie generabilis erat, cum ei dictum esset Gen. I. Crescite & multiplicamini: Igitur corruptibilis erat natura sua, quamvis Divino beneficio futurum erat, ut non corrumpetur.* Sed desideramus probationem hujus axiomatis Aristotelici, quod *omne generabile sit corruptibile*. Nonne etiam Christus à Maria genitus fuit quoad carnem, quæ tamen natura sua corruptibilis non erat? Ut non dicamus, etiam animam hominis per generationem propagari, quæ tamen propterea corruptibilis non est. Et quid, quæso, obstat, quo minus Deus creaturam condere possit corruptioni non obnoxiam, quæ nihilominus per generationem propagari possit?

## §. V.



§. V.

*Tertium* Argumentum desumptum est ab *indigentia cibi & potus*, quando Cardinalis pag. 42. ait : *Corpus, quod cibo indiget, ut conservetur, certè eo ipso mortale naturâ suâ esse convincitur.* Id quod nos potius invertimus, hoc modo: Corpus, quod cibo & potu, tanquam mediis mere naturalibus, in vitâ perpetuo conservari potest, eo ipso naturaliter immortale vel non-mortale rectè dicitur, ab immortalitate non quidem absoluta, sed tamen ordinata & ad usum mediorum naturalium alligatâ, quod sufficit. Quod *arborem vitæ* concernit, vis ejus & efficacia vitam hominis corroborandi & conservandi non fuit supernaturalis, uti quidam existimant, sed naturalis & in ipsa creatione insita, quemadmodum & reliquæ arbores, earumque fructus nativam suam vim & proprietates naturales habuerunt, proinde vim suam vivificam in primo homine exseruisset, non per modum remedii præservantis adversus mala homini naturaliter imminencia, sed per modum medii conservantis vitam & prorogantis corporis humani vigorem, ut nullum senium, nulla infirmitas, nullus defectus virium unquam ei metuendus fuisset.

§. VI.

Cæterum, ubi de arbore vitæ heic loquimur, id maxime difficultatem habet, quomodo verba illa Gen. III. 22. *ne comedat de fructu ejus & vivat in æternum;* sint intelligenda. Quam difficultatem, ut heic breviter expediamus, operæ precium videtur. Tres verò potissimum sententiæ circa hoc punctum apud Interpretes occurrunt. *Prima* verba hæc exponit de absoluta æternitate, sive immortalitate, quasi Deus cavere voluerit, ne plane immortalis fieret homo per esum arboris vitæ, & æternum viveret, etiam postquam peccavit. *Alterâ*, phrasin לעולם accipit de æternitate tantum secundum quid, sive

D



five de longævitate, ita, ut Deus voluerit per expulsionem e Paradiso prohibere, ne homo decerpatur fructum, & beneficio illius vivat per tempus valde longum, ac ita proroget sibi miseriam suam terminum. *Tertia* denique, illa verba ironice vult accipi, hoc modo, quod Deus in iis non respexerit ad rem ipsam & eventum, sed solum ad opinionem & spem Adami, ob rationem nominis arboris vitæ non satis intellectam. *Prima* sententia est *Bellarmini* & aliorum, & nititur I. ipsa *natura* hujus arboris & fructuum illius; nam si arbor vitæ ante lapsum hominis habuit hanc vim, ut hominem redderet non tantum longævum, sed immortalem, & verò arbor non fuit mutata, sed homo, phrasis ista accipienda videtur de æternitate absolute sic dicta. 2. *Cautione* DEI. Cur enim, *dicunt*, Deus præclusisset aditum ad hanc arborem, si fructus ejus virtutem suam & efficaciam nativam in homine lapso exerere; eumque immortalem reddere non amplius valuisset. 3. Argumentantur ex comparatione *Patriarchalis ætatis*. Patriarchas enim etiam citra usum hujus arboris admodum longævos fuisse, constat. ex quo omnino sequi videtur, quod non ad præcavendam longævitate, sed omnimodam immortalitatem Deus post lapsum aditum ad arborem vitæ præcluserit. Altera interpretatio pro fundamento habet I. quod phrasis לעולם sæpissimè in Scriptura denotet æternitatem saltem periodicam & limitatam. 2. quòd homo per peccatum pœnam mortis incurrit, juxta comminationem divinam Gen. III. 19. quam nulla ratione evitare potuisset, salvâ justitia Dei & veracitate. 3. Quia alias promissio de Christo semine mulieris mortem abolituro tota potuisset evacuari. Et ob has modo allegatas rationes B. OSIANDER sententiam hanc posteriorem de longævitate priori de absolute æternitate præfert; ad argumenta vero pro hac sententia adducta ita responderet: *Ad I.* utique arborem vitæ retinuisse suam virtutem, sed hanc nunquam se extendisse ad æternitatem.



nitatem absolute sic dictam, cum homo, etiamsi in integritate perstitisset, tamen aliquando ex hac vita animali in vitam gloriosam & beatam procul dubio translatus fuisset. *Ad 2.*

Ideo Deus præcluserit homini accessum ad arborem vitæ, ne denuò peccaret comedendo de fructu ejus, & nihilominus ex fructu illo vitam sibi prorogaret. *Ad 3.* Effectus arboris vitæ fuisset longævitas non qualiscunque & qualis erat Patrum antediluvianorum, sed eminentior, utut mortem non profus excludens, ut veritas comminationis divinæ cum eâ consistere possit. Tertia verò sententia, quæ Riveti & aliorum est, nobis non omni ex parte displicet; quanquam enim verba ista per ironiam dicta fuisse non existimemus, censemus tamen de cætero, ea commodè ita accipi posse, ut sensus sit: Nunc ergo, ne homo extendat manum suam & sumat etiam de ligno vitæ, & de fructu ejus comedat, ut (quem significatum præfixum sapientius habet) vivat in æternum, sperans scilicet, se per esum arboris vitæ adhuc mortem evitare posse, expulit eum Dominus ex horto Edenis, ne peccatum peccato adderet, & novam sibi pœnam accerferet. Ut proinde hæc verba omninò respiciant non tam eventum, quàm vanam hominis spem ac opinionem, & verò non sint Dei ironicè loquentis, sed sollicitè potiùs caventis, ne in eo denuò peccaret homo, cui nullum post transgressionem jus amplius erat comedendi ex arbore vitæ.

§. VI.

Denique, subjungit Bellarminus, verba Gen. III. *Pulvis es & in pulverem reverteris* innunt, quòd homo ex conditione naturæ suæ mortalis fuerit, cum hic sit sensus verborum illorum:

*Quanquam te valde gloriosum meâ Benignitate effecerim, ita ut posses neque mortem, neque mala ulla formidare, tamen ex natura tua pulvis eras, mortalis, fragilis, doloribus laboribusque obnoxius & quia dono meo illo superaddito culpa tua spoliatus es & in statum tuum naturalem recidisti, ideo nunc etiam pluvius es, & in pulverem reverteris.* At non sequitur, homo pluvius



fuit ratione primæ originis suæ, ergo naturaliter mortalis; Quid enim alias fiet de corporibus resuscitatis, quæ non desinent esse pulvis quoad substantiam; deinde constat, hæc verba, dicta fuisse homini non integro, sed lapsò, qui utique pulvis & in pulverem redigendus erat. Denique, primam quidem hominis originem his verbis respicit DEUS, & potentiam corruptionis, si multum largiri velimus, *remotam*, non verò *proximam*, de quâ sola hoc loco quæritur.

PUNCTUM QUINTUM.  
DE PARADISO.

§. I.

DIScrepantes circa SITUM Paradisi Doctorum sententias BELLARMINUS *Lib. de Gratia primi hominis c. XII.* operose recenset & refutat, eumque ab omni cognitione humana remotissimum esse contendit, cum tamen ex Topographia Mosaica facile sit colligere, Paradisum situm fuisse in Mesopotamia vel Babylonia, & quidem in illa parte Babyloniæ, quæ Auranitibus vocatur, sive Audanitis vel *Edenitis*, nomine alludens ad ipsum Hortum *Eden*, id quod Viri docti colligunt exinde,

I. Quia Paradisus erat situs in Eden; Eden autem erat pars Mesopotamiæ vel Babyloniæ, ut colligitur ex 2. Reg. XIX. 12. Esai. XXXVII. 2. Ezech. XXVII. 23.

II. Quia Hortus ille erat versus *Orientem*, מקדם, Palæstina autem habebat Babylonem in plaga Orientali, ut constat ex Gen. XXII. 6. Num. XXIII. 7. nec credendum aliter Mosen locutum fuisse in descriptione Paradisi, quam respectu Palæstinae. Accedit, quod Paradisus fuerit hortus voluptatis; Auranitibus autem, teste *Plinio* l. 18. c. XVII. & *Solino*, sit regio omnium florentissima & longè fertilissima.

III. Quia flumina, quorum in descriptione Paradisi fit mentio, huic situationi respondent, si quidem dextrè explicentur.



cur. De quo videatur omninò B. OSIANDER in *Comm. ad h.l.* nec non JO. MARKIUS de Paradiso.

§. II.

Hunc verò Paradisum *Bellarminus l. c. cap. XIV.* adhuc superesse statuit, & in hac sententia fuisse, ait, Patres plerosque, quos inter *S. Augustinus* videatur hoc ipsum ad fidem catholicam referre; nec non Scholasticos fere omnes. Sunt tamen inter ipsos Pontificios non pauci, qui hâc in parte à reliquis discedunt, ut *Suarezius, Pererius, Viogus, Vatablus, Hieronymus ab Oleastro, Cornelius à Lapide* & alii, qui omnes nobiscum sentiunt, hortum illum voluptatis aquis diluvii obrutum ac devastatum fuisse; Nos incertum esse existimamus, utrum diluvium usque integer manserit nec ne? Cùm enim omnes creaturæ propter peccatum vanitati & maledictioni subjectæ fuerint, cur paradisos, propria & proxima sedes peccati, impunè hoc tulerit? Neque custodia Angelorum conservandæ integritati & amœnitati horti, sed prohibendæ temeritati humanæ destinata erat. Quodsi vero eousque duravit, nullum tamen est dubium, quin superveniente diluvio, non quidem qua locum & terram, sed qua cultum & faciem suam adspectu jucundissimam vastatus & dirutus fuerit, id quod rationes suadent sequentes:

I. Quia aquæ diluvii totum terrarum orbem inundasse, & altissimos quosque montes quindecim cubitis superasse dicuntur, Gen. VII. 19. 20. Jam verò propositio universalis non debet restringi, nisi ubi ipsa Scriptura exceptionem facit, vel ratio quædam urgens & necessaria eam deposcit, qualis nulla hic apparet. Multo minus miracula pro arbitrio fingere licet. Quod verò *Bellarminus* ait. miraculum aliquod hic omnino statuendum esse, cum Scriptura testetur, Enochum non periisse tempore diluvii, qui tamen in arca non fuerit; id plane ridiculum est, cum Enochus tempore diluvii fuerit in cœlo, adeoque ad sui conservationem miraculo opus non haberit. Dicitur enim Gen. V. 24. *translatus à Deo*, scilicet è terra in cœlum, non in Paradisum, quod ne quidem Syrac. XLIV, 16, extat in codice



dice græco , sed à vulgato interprete textui temerè insertum est. Quod si in eo extaret, tamen non statim de Paradiso terrestri accipiendum foret.

II. Quia nullum ejus vestigium sive in Mesopotamia , ubi Paradisum olim extitisse probabile esse diximus, sive uspiam alibi hactenus reperire licuit, quæ sine dubio causa est, cur *Bellarminus* eum ab omni cognitione humana remotissimum esse dicat. Quod verò *Elias Levita* in suo *Thisbi* regerit, multos quidem ingressos, neminem tamen inde egressum, sed omnes loci amœnitate capros ac ibi detentos esse, Rabbiniqum suavi- ludium est.

III. Quia , si Paradisus ab aquis diluvii tutus atque immunis fuisset , Noachus cum familia sua ac cæteris animantibus arcâ tanto labore concien- cienda opus non habuisset, sed multo facilius in Paradiso conservari potuisset. *Excipit* quidem *Bellarminus*, *Paradisum non esse locum hominum peccatorum, & humanis calamitatibus subjectorum: sed eorum tantum, qui communibus hujus vite miseris non sunt obnoxii, quales fuerunt olim Adam & Eva, & nunc Henoch atque Helias. Itaque non convenisse regionem Paradisi Noë & filiis atque uxoribus eorum, & ideo necessarium fuisse, alia ratione vite ipsorum provideri.* Sed hæc ratio non concludit , quia nil obstat , quo minus Paradisus , licet ordinarie hominibus peccatoribus destinatus non fuerit, extraordinarie tamen & singulari Dei gratia ac beneficio Noë & reliquis ad tempus con- cedi potuisset.

§. III.

Conjectura de COLUMBA à Noacho emissâ, quæ ramum virentis olivæ è Paradiso, terra reliqua aquis obruta, attulerit. Gen. VIII. II. planè nullam veri speciem habet ; Qui enim alias Noachus exinde colligere potuisset, aquas diluvii decrevisse , siquidem folium illud sive ramusculus è Paradiso decerptus fuisset , hunc vero aquæ diluvii nunquam attingissent. Aut, quæ necessitas nos cogit, ut ramusculum illum è Paradiso repetamus, cum nullum sit dubium , quin olea etiam sub aquis per tempus bene longum delitescens, folia sua retinere possit. Fabulam autem de ENOCHO & ELIA in Paradiso commorantibus, usque ad adventum Antichristi, Pontificii ideo saltrem à Judæis mutuati sunt, ne Antichristum jamdum venisse, eumque in suo Pontifice agnoscere teneantur. Cum igitur hæc uni- ca ratio sit, quam *Bellarminus* tanquam probabilem pro existencia Para- disii allegat , facile vel ex hac ipsa ratione constare potest, sen- tentiam hanc fabulosam ac mere comment- tiam esse.





Umg. VI. 2<sup>h</sup>

= [Dissertationes  
theol. <sup>Vol.</sup> 49.]

ULB Halle

3


004 917 588











Q. D. B. V.  
 DISSERTATIO THEOLOGICA  
 Quâ  
 PRÆCIPUI  
 PONTIFICIORUM ERRORES  
 circà doctrinam  
 DE  
**IMAGINE DEI**  
 IN PRIMO HOMINE,

*ως ἐν Συνοίῃ*  
*ob oculos sistuntur, strictimque refutantur.*

DEO clementer adjuvante,  
 PRÆSIDE

**GODOFREDO HOFFMANNO,**  
 SS. Theol. Doct. & Prof. Publ. Ordin.

Ducalis Stipendii Theologici Superattendente, &  
 Ecclesiæ Tubingensis Decano,

*Publicæ ventilationi exposita*  
 Die XXX. Martii MDGCXXII.

RESPONDENTIBUS

M. JOANNE FRIDERICO HUBER, *Tubingensi.*  
 M. GOTTLIEB. FRIDERICO TAFEL, *Hohentwilenensi.*  
 SS. Theol. Stud. & Serenissimi Stipendiariis.

TUBINGÆ, Literis JOSEPHI SIGMUNDI.

